

188 Respondetur negando consequentiam ad cuius probationem concessio antecedente, rursus negatur consequentia; cum enim causa moralis sit vera, & proprie causa in communi modo loquendi, ut supra ostensum est, ut caro Christi sub speciebus consecrata sumpta vere, & proprie det vitam gratiam, sufficit, quod eam det moraliter, modo iam explicato, & minime opus est, analogiam corporis Christi, & carnis eius, quatenus est cibus, cum cibo corporali in causatione physica fundari, sed sufficit, quod fundetur in vera collatione vite, ita ut sicut cibus corporalis vitam corporalem verè conferat, ita caro Christi verè conferat spiritualem; nec aliquid plus probat argumentum.

Ad Confirmationem dico, ad omnes illas auctoritates verificandas sufficere, quod ab unione cum Verbo caro Christi receperit vivificam virtutem conferendi gratiam, quod autem conferat physicè, minime ad id verificandum necessarium esse, quandoquidem hoc totum adhuc verum esset, etiam si virtutem tantum morale haberet, nequid mirum esse debet, quia ipsa Christi humanitas est physice, & hypostaticè unita Verbo, moraliter tantum, & non physice miracula patrabat, ut supra dictum est in solutione ad tertium n. 177. Ad ultimum iam supra dictum est in solutione ad 2. cur Patres tot faciant admirationes in exaggeranda sacramentorum virtute quoad gratiam conferendam; quamvis enim virtus illa sit moralis duntaxat, & hæc etiam sit facilis intellectus; adhuc tamen valde arduum est, ac omnem humanam excedens capacitate, quod Deus verè ad eo infirmis, qualis est materia, & forma sacramentorum, sub omnipotentiam alligare voluerit, & propterea fide tantum creditur, quod eam causent, sive physice causent, sive moraliter. Denique, ut inquit Poncius cit. quando etiam ex Patribus, & Conciliis specialiter confertur de Eucharistia, quod gratiam physicè conferret, non propterea id de aliis quoque sacramentis concedendum esset, quia cetera sacramenta successivè existunt; ac sacramentum Eucharistia est permanent, & caro Christi existit sub speciebus, quando gratia confertur; & idè quando etiam de sacramento Eucharistia id concederetur, adhuc de aliis negari deberet ob disparitatem iam assignatam.

QUESTIO QUINTA.

Quid sit character, & in quo subiecto proxime imprimatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Status questionis aperitur.

189 Ut hic omnes notant, character est nomen græcum idem significans, quod latine sonat signum, nota, vel signilli alicui rei impressum, & affixum, unde pedes, que igne inuruntur, characterem habere dicuntur; tribus autem de causis res aliquæ signari solent. Primo, ut cognoscatur, & ab aliis distinguatur, quo pacto viri aliqui facinorosi signari dicuntur, & oves characterè Domini sui; Secundo, ut in maiori pretio res habeatur, quo pacto pecunia sigillo regio est obsegnata; Tertio tandem, ut ad aliquod officium deputetur, quo pacto milites characterè militari signantur. Ad hunc igitur modum, signum, & nota quædam spiritualis animabus nostris à Deo est impressa, quæ ab aliis hoc signo contentibus distinguitur, & quæ etiam veluti milites Dei, & Christi ad spiritualem militiam, & Dei cultum, ac Religionis Christianæ statum consignatur, & deputatur; hoc inquam, signum, & hæc spiritualis nota dicitur character, ita de nomine characteris dicitur Scotus 4. d. 6. q. 9. s. de primo.

190 Ut autem in hac materia de characterè certa ab incertis, & communiter concessa à controversis fecerimus; Primo certum est inter Catholicos aliquæ sacramenta hunc characterè imprimere, ut de fide definitum est in Concilio Tridentino, scilicet adversus Calvinum, & alios nostri temporis Novatores, quod expressè colligitur ex quibusdam Scripturæ locis, ut ad Ephes. 1. in quo credentes signati estis, & 2. Corinth. 1. qui unxit nos Deus, signavit nos, & ad Ephes. 4. nolite contristare spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis, quem locum intelligit Hieronymus de characterè baptisimali; Ratione etiâ suadet, quia tria tantum sacramenta iterari non possunt, ut colligitur ex cõmuni Ecclesiæ traditione, & Hæretici ipsi fatentur, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo; hoc autem minime verum esset, nisi characterem imprimere, nam ex sola characteris impressione Trident. loc. cit. illa tria sacramenta probati iterari non posse, & alioquin nulla ratio esset, cur iterari non possent, ut alia sacramenta: ergo ex non iteratione, tantquam ab effectu, quod characterem imprimant, optime colligitur. Rursus hoc probat Scotus 4. d. 6. q. 10. eleganti congruè ex politia humana deducta s. fed res sit sub lit. nam sicut, qui in Familia Principis bene dispositus, vel exercitii bene ordinato ad diversa applicatur officia, diversis notis ac insignibus notari solent, quibus eorum munus cognoscatur, & ab aliis discernantur; ita in exercitio, & Familia Christi diversi sunt hominum ordines, singuli propriis characteribus notati, quibus eorum munus cognosca-

tur, & discernantur ab aliis; nam per Baptismi characterem homo ad scribendam familiam, & militiam Christi, & ab omnia extrâ hæc familiam distinguitur; per characterem Confirmationis deputatur homo, tanquam Christi miles ad certamen spirituale ad profectum fidem, & pugnam interius contra fidei persecutores; Et tandem per characterem Ordinis deputatur homo, tanquam Christi Minister, ad sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras obeundas juxta ordinum diversitatem; & hæc igitur ratione valde congrua est, ut per tria illa sacramenta divet imprimantur characteres juxta gradum, & numerum diversitatem.

191 Ex quo rursus deducit Doctor rationem, cur alia sacramenta præter hæc tria characterem non imprimant; nullus enim habet determinatum gradum in familia Regis, quia comedit, vel bibit; nec quia post offensam Domini recõciliatur sibi; nec quia multiplicat personas in illa politia; nam isti actus cõmunes esse possunt omnibus in quocunque gradu; sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familia Domini, alium quædo ulterius proficit, & constituitur miles ad defendendam Rempublicam, alium, quando constituitur, ut supremus sub dominio ad constituendum alios in gradibus determinatis; Sic in proposito alia sacramenta, ut Eucharistia ad nutritionem spiritualem ordinata, matrimonium ad procreationem corporalem; penitentia ad reconciliandum, in nullo certo gradu constituitur in Ecclesiâ, imò possunt esse cõmunes omni membro Ecclesiæ in quocunque gradu; atque idè nulla est ratio, vel congruitas, cur hæc sacramenta characterem imprimant, sicut illa tria. Et hinc tandem deducit Doctor rationem, vel congruitatem, cur illa tria sita iterabilia, nam sic alia, quæ sicut in politia humana non congruit, illas tres dignitates jeterari, scilicet, receptionem in familia; promotionem ad militiam; & prælationem ad doctrinam; bene tamen iterari possunt nutritio, & procreatio, & reconciliatio; ita in proposito tria illa sacramenta iterari non debeat, alia autem iterantur, & in non iterandis gradibus inter alios acquirunt, qui character dicitur, in iterandis autem non; Et hæc ratio, & congruitas, non propterea id de aliis quoque sacramentis concedendum esset, quia cetera sacramenta successivè existunt; ac sacramentum Eucharistia est permanent, & caro Christi existit sub speciebus, quando gratia confertur; & idè quando etiam de sacramento Eucharistia id concederetur, adhuc de aliis negari deberet ob disparitatem iam assignatam.

192 Conveniunt insuper Theol. in hoc, quod character producat ad sacramento eo modo, & eo tempore, quo producit gratia sanctificans, si non aliter ob: Ratio est, quia character est effectus sacramenti secundarius, sicut gratia est primarius, idè obque produci debet ex opere operato, & tunc quando sacramentum cõfetur completum, ut de gratia iam dictum est. Cum hoc tamen discrimine, quod gratia, si ad se obex, non producit, producit tamen character, quia ipse non ponitur directè ad sanctificandum, sicut ponitur gratia; unde quædo ad se obex, character nihilominus à sacramento producit, gratia vero solum, quando ablatio obice sacramentum reviviscit. Ex quo deducitur, ad productionem characteris nullam requiri dispositionem, qualis requiritur ad productionem gratiæ, sed solum quod sacramentum debito modo cõficiatur, hoc est, cum debita materia, & forma, & intentione Ministerii. Et hinc tandem deducitur, characterem anime inesse indelebilitè, cuius rationem inquit Doctor loc. cit. s. ad questionem quia quicquid corruptum, vel corruptum sit, defectu subiecti, vel conservantis, vel ratione contrarii oppugnantis ex nullo capite ex eumetatis corrumpti potest; non quidem ex primo, cum ejus subiectum sit anima, quæ est immortalis; non ex secundo, quia conservatur à Deo; nec denique ex tertio capite, quia nullam formam physicè contrariam habet, nec etiam moraliter; si enim ullam talem haberet, maxime esset peccatum; constat autem, eum manere in peccatoribus ex auctoritate Patrum, & Concilii Flor. & Tridentini; quare sequitur, esse indelebilem, & à parte potest alterari; Hoc autem intelligi non debet in ordine ad potentiam absolutam, quasi nequeat cum Deo destrui, quando vult, sicut destruit potest ipsam animam, & Angelum; sed intelligi debet de potentia ordinaria ob rationem adductam, quia nimirum subiectum in anima, nec ullam habet formam physicè contrariam, nec moraliter; Et rursus, cum dicitur, peccatum non ei moraliter, vel de merito contrariis, sicut contrariis gratiæ, hoc autem debet intelligi, quasi id ei conveniat ex natura sua, sed solum ex ordinatione divina; absolute enim loquendo possit aliquod peccatum ita mereri, ut auferatur character, sicut aliquod meretur, ut auferatur fides, vel spes, & quodlibet mortale, ut auferatur charitas, quare quod per nullam auferatur character, ex sola Dei voluntate ortu est.

193 Conveniunt tandem etiam in hoc Theologi, paucis quibusdam exceptis, characterem non esse ens rationis, ut quidam dixerunt, quorum doctrinam esse ridiculam, ait Poncius d. 1. q. 8. quomodo enim sacramenta imprimere, ens fictitiu, quoquomodo ens fictitium esse possit signum à distinctivum famulorum Christi; aut potest ne habere apparentiam ullam, quod aliquis intellectus debeat fingere aliquid in baptizato, ut baptisimus imprimat characterem, aut si non fingat, baptisimum non impressurum characterem?

Sed

Sed planè, quando Auctores illi dixerunt, characterem esse ens rationis, non loquebatur de ente rationis per formalis quod fingitur ab intellectu, nec habet esse, nisi per ejus operationem; sed tantum de ente rationis per materialis, quales esse dicitur denominationes extrinsecas, & morales, quæ suo modo dantur à parte rei absque ulla tali intellectu fictione; Hoc totum patet ex Durando, cui præsertim illa adscribitur opinio 4. d. 1. q. 2. ubi ait, characterem esse relationem quandam rationis, sive extrinsecam denominationem, sicut in pecunia nulli est absoluta qualitas, vel relatio realis, per quæ constituitur in ratione pretii, sed solum est relatio rationis ex institutione regis. Hoc igitur tantum modo affirmant Auctores illi, characterem esse relationem rationis, per quæ homo ex institutione divina ad sacras actiones dicitur deputatus; quare sicut de facto à Rege deputantur Præsides, & Gubernatores per solâ Principis deputationem, & ipsi sic deputati manent hæc solâ relatione rationis, sive extrinsecâ denominatione, & ita in Dei veteri sola consecratione Sacerdotis, manebat, ipse ad cultum Dei deputatus sine impressione alicujus entitatis realis spiritualis; ita pariter inquantum in lege gratiæ potuisse homines ad divinum cultum assignari, & deputari per solam extrinsecam denominationem sine impressione alicujus entitatis realis.

194 Ceterum neque in hoc sensu dicitur character esse ens rationis, nam juxta modum loquendi Conciliorum, & Patrum character dicitur in propria anime nostre, & esse signum spirituale ei impressum, quod neque relationi in hoc sensu, neque extrinsecæ denominationi convenire potest, imò enim proprie loquendo esse forme realiter existentis non enim proprie dicitur visio imprimi obiecto, quod extrinsecè denominatur. Tum etiâ quia impressio characteris est actio realis juxta modum loquendi veterum, Patrum, & Conciliorum, ergo character est res aliqua verè, & realiter existens, non verò sola ratio realis relatio aut extrinsecæ denominationi; cum sit effectus per realem actionem productus. Unde non ita à Deo ordinatus est character in lege gratiæ, ut Theol. illi dicebant de Gubernatore, per solâ Principis institutionem deputatus, & de Sacerdote veteris legis per solâ Principis institutionem consecratus, sed sicut voluit, per circumstantia sensibili signum suum populo à reliquis discernere; ita nunc suos famulos, ac milites spirituali signi in anima impresso ab aliis discernere voluit, ut sic diceret ab Ang. dignifici possent, quo etiam ad aliquid actus divini cultus deputentur; quæ est tamen forma intrinsecæ anime impressa, & divina institutione significata, ita characterizata esse aptum ad efficiendum, vel recipiendum hujusmodi actus, scilicet, ad recipiendum, vel administranda sacramenta. Ex qua doctrina rejicitur etiam doctrina Scoti ad 1. q. 4. ubi probabile putat, characterem non esse formam vere, & realiter distinctam ab anima; sed potius esse tantum modum in re. Hoc enim non minus Concilii contradicunt, quàm assertio Durandi; si enim est idè realiter cum anima, sicut hæc per sacramentum non producit de novo, ita neque quod est sibi realiter identitatum, imò neque Scot. putat, in hoc sensu id pronuntiasse, sed tantum innuere voluisse, characterem non à parte rei, distinguendo à suo subiecto, re sed ut modum à re; quod nec etiâ bene diceretur, ut potius putandum sit, ita se habere, sicut se habet ipsa gratia in anima, eodè quæ pacto esse formam vere, & realiter ab anima distinctam, ut rem à re.

195 Verum quævis Theologi passim in hoc conveniant, quod character est ens physicum reale ab anima realiter distinctum, ad hoc tamen in multis aliis differant. Primo enim disputant, an sit forma aliqua absoluta de genere qualitatis, an potius forma realis relativæ; quævis communior affirmet, esse formam absolutam de genere qualitatis, & eidem Scotus quoque nos ter subscribit 4. d. 6. cit. q. 10. addit nihilominus, probabiliter quoque defendi posse, esse formam relativam, extrinsecus advenientem, à Deo immediate causatam in anima susceptientis, quia per hoc etiâ falluntur omnes conditiones characteris, & quia character est signum, signum autem essentialiter dicit respectum ad rem signatam. Secundo, tenendo cum communiori, & probabiliori sententia, quod sit forma de genere qualitatis, adhuc differunt, sub qua specie collocari debeat, quid à nempe antiquiores dixerunt, sub nulla ex quatuor assignatis ab Aristotele contineri, eodè sub illis locantur solum qualitates acquiruntur, quod sub illis quæta species, quia character est figura quedam, ita Macrius, Recentioribus Cartagenæ disp. 5. de sacramentis difficul. 2. cap. 4. & Ricardus, & quidam alii Nominales, quibus subscribitur ex Recentioribus Cartagenæ disp. 5. de sacramentis difficul. 2. cap. 4. & Salas par. 2. ar. 2. disp. 8. sect. 3. eo quia character configurat nos Christo. Alii dixerunt, spectare ad tertiam qualitatem speciem, quia character est veluti passio, vel passibilis qualitas; ita Aristodoren. & alii veteres quoque sequitur hic Cardinal. de Lugo d. 6. sect. 3. Thom. passim locant illum sub secunda specie, quæ est potentia, & ita defendunt Cajet. Nugus, Valencia, Henriquez, & alii. Quidam dixerunt, spectare ad primam speciem, quia se habet tanquàm dispositio, & habitus, & hoc defendunt Suarez, Vasquez, Coninch. Bellarminus cum Alen. & D. Bonav. Scotus tandem inquit loc. cit. quod si teneatur, characterem esse qualitatem, ad aliam speciem spectare non potest, quàm ad primam, vel secundam.

196 Deinde, quævis etiam Theologi passim conveniant, quod unum ex potissimis predicatis characteris sit esse signum, & signum quoddam spirituale designans subiectum, & segregans ab aliis, qui illud signum non habent, unde designat, & notat domesticos Christi per baptismum; milites Christi per Confirmationem, & Ministros Christi per Ordinem; quævis inquam, omnes in hoc conveniant, adhuc tamen disputant, an character sit signum, aut signillum hæc omnia naturaliter significans, vel solum ad placitum, & ex institutione divina; primum asserunt Salas, Card. de Lugo, Amicus, & alii quidam; oppositum tamen docet communis opinio, tam Veterum, quàm Recentiorum. Rursus contendunt aliqui, esse merum signum absque ulla profusa activitate, & potentia causandi, ut Vasq. Caspensis, & alii quidam. Alii verò communiter in characterè agnoscunt potentiam, & virtutem, aliquo modo ordinatam ad aliquos effectus aliquo modo causandos, qui rursus inter se sunt divisi; quidam enim volunt, hæc potentiam esse physicam, ita ut characteri conveniat ex natura sua physica, ut Lugo jam citat; Alii verò communiter asserunt, esse morale tantum, & ex institutione divina; ita Suarez, Bellarminus, Amicus, & alii, Morandus, & alii passim. Denique disputant, in quo subiecto proxime imprimatur character, tanquam in immediato subiecto, an scilicet, in essentia, & substantia ipsius anime, vel potentia in potentia ejus intellectu, aut voluntate; Thomistæ quæplures illum in intellectu reponunt, ut Cajetanus, Capreolus, Soto, Nugus, Ledesma, & alii; Scotistæ verò passim in voluntate reponunt cum Scoto 4. d. 6. q. 11. Alii tandem communiter in essentia, & substantia anime immediate, ut Recentiores passim.

ARTICULUS SECUNDUS.

Resolutio questionis quoad primam partem.

197 Sententia Scoti in hac controversia de characterè, nec à Thomistis, nec à Scotistis bene refertur, cum tamen clarissime loquatur 4. d. 6. cit. q. 10. Thomistæ namque communiter ita illum referunt, ut absolute, & assertivè docuerit, characterem esse formam realem relativam non verò absolutam, imò aliquid Scoti imponunt, quod dixerit, characterem esse relationem rationis, ut Vasq. 3. par. disp. 3. c. 2. Aug. Bernab. & alii Recentiores, per relationem extrinsecam advenientem intelligentes denominationem extrinsecam; cum tamen Doct. loc. cit. aperte dixerit, characterem esse formam physicam, & realem, & atqueque partem probabiliter defendi posse, quod nimirum sit forma absoluta de genere qualitatis, vel relativa realis de numero earum, quæ dicuntur relationes extrinsecas advenientes, quæ admitti debent, lætè probavimus in logica, & tales esse diximus ultima sex prædicamenta ex Scoti pluribus in locis. Scotistæ verò passim utique Doctorem citant in hac re problematicum, characterem, scilicet esse, vel formam realem absolutam, vel relativam extrinsecus advenientem, addunt tamen, probabiliter ab eo censeri, quod sit forma realis relativæ, quare hæc partem præsertim defendit, ut magis de mente Doct. ita Faber, Centinus, Bancarus, & alii in 4. sentent. Verum illi Doct. attentè legatur loc. cit. quævis problematicè teneat, quod sit forma absoluta, vel relativa, quia non potest unam vel alteram partem evidenter convinci, nunquam tamen dicit, probabiliter esse, quod sit forma relativa; imò potius oppositum insinuat, nempe probabiliter esse, quod sit forma absoluta, quia in partem proinde, ut probabiliorum, tument omnes Scot. veteres Maiton 4. d. 7. q. 5. ar. 10. Bassolius d. 6. q. 3. ar. Rubion. d. 7. q. 2. ar. 2. Vortillon. d. 3. q. 3. Nicolus de Orbellis d. 6. q. 7. & ex Recentioribus Aretinus, & Hiques 4. d. 6. q. 10. Poncius disp. 4. q. 8. & alii.

198 Primò itaque dicendum est, probabiliter defendi posse, characterem esse formam realem relativam de numero earum relationum, quæ in Schola nostra extrinsecus advenientes appellari solent; probabiliter tamen esse formam realem absolutam de genere qualitatis. Hæc conclusio est veterum Scoti. loc. cit. & quod primam partem probatur à Doctore loc. cit. sub lit. A. sicut non sunt ponenda plura sine necessitate, ita quod aliud ponitur præsertim propter aliud, non est ponendum per defectum, quæ reatur ad illud aliud, illa enim perfectio alterius frustra ponitur, sed propter ea omnia, ob quæ ponitur character, non est necesse, quod sit perfectio absoluta, quia possunt salvari dicendo, quod sit forma relativa; ergo superflue, & sine causa ponitur absoluta; minor parebit solvendo rationes, inquit Scotus.

Quoad alteram partem, Poncius, & Aretinus eam probare nuntur validis rationibus; & efficacibus, sed bene inquit Bassolius loc. cit. nec efficaci ratione, vel cogente auctoritate probari posse, quod character sit forma absoluta; nam ad ea omnia, quæ characteri adscribuntur, salvanda sufficeret forma aliqua relativæ, patet ibi solvendo rationes pro ista parte, quæ convincentes, & efficaces Recentioribus censentur; subdit tamen Bassolius, adhuc convectus esse, quod ponatur forma absoluta, tum quia hoc magis est consonum intentioni Doctorum, & communiter loquentium de characterè, & dignitate sacramenti, vel characteris; Tum quia multo facilius, & convenientius, & manifestius salvantur illa, quæ attri-

attribuenda sunt characteri, ponendo, quod sit aliquod absolu- tum, quam quod sit characteris, ut ex dicendi, constabit.

199. Secundo dicendum est, characterem non esse signum natu- ralis significans, aliquid esse Christi famulum, aut militem ejus vel potestatem illam, quam habent ordinati, sed merè ad placitum, & ex institutione divina. Hæc conclusio est contra præfatos Re- centiores, & Scoti qu. 10. cit. Infrà lit. D. dùm inquit, quod relatio signi non est, nisi relatio rationis, loquendo de signo instituto ad placitum, cuiusmodi est character, respectu suscepti sacramen- teiam; sufficienter suadet ratio, quam pro ea adducit Cardinalis de Lugo disp. 6. sect. 3. & Amicus disp. 6. sect. 6. non sufficienter so- lvi; quia nimirum replicari nequit, quomodo possit character il- la omnia virtualiter significare, nisi quatenus esset eorum natura- lis representatio, vel formalis, qualis est species expressa, & ipsi rei cogniti; vel virtualis, sicut est species impressa rei, cuius est spe- cies; sed character neque est species expressa, neque impressa serviti- us Christi, aut militie ipsius, quia parvulis baptizatis nulla talis infunditur cognitio, vel species; ergo character nequit esse repre- sentatio, vel similitudo intentionalis eorum; Sed neque tam po- test esse similitudo realis, vel aliquam similitudinem obiectivam cum illis habere, sicut habet imago cum re, cuius est imago, aut unus homo cum alio homine, nam explicari nequit, quomodo ta- lis qualitas spiritualis, qualis est character similitudinem habeat realem, vel obiectivam cum Christo, vel servitute, & militia ip- sius; aut cum potestate, quam habent ordinati ergo &c.

Respondent præfati Auctores, characterem non esse repre- sentationem formalem, qualis est cognitio, nec virtutalem, qualis est species impressa, sed obiectivam, quatenus ipsa cognita ducit in cognitionem rei representate non propter similitudinem, aut cõ- venientiam entitativam, quam habet cum re representata, sed propter ordinem intrinsecum, quem habet ad ipsam significandã; Sic enim videmus, aliqua esse signa naturalia obiectiva, quæ absq; similitudine representant naturaliter; tales sunt gemitus, & lachrymæ, quæ absque ulla similitudine entitativa cum dolore in- terno, eum naturaliter significant, quia ex natura sua sunt intrin- sece ad illum significandum; sic etiam risus absq; ulla similitudine cum gaudio interno, illud naturaliter, & obiective significat, & sic universim loquendo quævis proprietates cognita ducit in no- ticiam abstractivam naturæ, cuius est proprietates.

200. Sed neque in hoc sensu posse characterem, significare natu- ralmente Christi servitutem, vel militiam ejus, aut potestatem illam, quam habent ordinati, probatur ex eisdem exemplis adductis; in- tantum enim lachrymæ significant ex natura sua dolorem, & di- gnum ordinem intrinsecum, ut ducant in cognitionem ipsius; in- quantum procedere solent naturaliter à dolore, aut à causa infe- rente dolorem, aut ab aliquo cum illa causa conjuncto, vel cù ip- so dolore, & sic est de risu respectu gaudii interni; adeo ut nulla qualitas, quæ non sit species impressa, vel expressa alicuius rei, nec similitudinem habeat entitativam cum illa, potest dicere talem ordinem intrinsecum, ut in suis cognitionem ducat, nisi ex natura sua habeat aliquam connexionem cù illa per modum cause, aut effectus, vel proprietatis ipsius, ut patet de fetu, & risu respectu interni doloris, & gaudii; Sed character talem connexionem natu- ralem habere nequit cum servitute, & militia Christi, quam signifi- cat, neque cum potestate illam habent ordinati, siquidem neque est causa, neque effectus, neque proprietates, aut accidens con- naturale illorum, ergo neque, talem ordinem intrinsecum dicit ad illa, ut in eorum cognitionem nos ducat per modum signi natu- ralis, & naturaliter significantis; Maior patet, probatur minor, nã potestatem, quam habent ordinati ad abolendum à peccatis, utiq; habet à voluntate divini, quam potest etiam non habere simplici- ter, & absolute loquendo, quamvis characterem recipere, quia nulla talis qualitas creata excogitari potest, quæ naturale habeat connexionem cum actu libero divine voluntatis, talem potesta- tem ordinato tributis, & conferentis eum hæc potestas sit mo- talis, ut dicimus, & nulla profor qualitate, quam character importat per modum cause, aut effectus, vel proprietatis ipsius, qualem habere videmus risum cum gaudio interno, fetum cum dolore. Quare concludendum est, hæc configurationem, vel similitudinem, quam dicitur habere character sacramentalis cum Christo, non habere ex natura sua, sed ex mera voluntate extrinseca Dei, ut Suatez fide docet 3. part. 10. disp. 1. sect. 2. & 3. & alii passim.

201. Tertio dicendum est, characterem non esse metum, & nu- dum signum Christi conformativum, & configurativum absque ulla profor activitate, & potentia causandi, imò potius habere virtutem, & potentiam aliquo modo ordinatã ad quosdam effe- ctus, aliquo modo causandos. Hæc est contra quosdam Auctores n. 196. relatos, qui dicunt, characterem non infundi, ut sit prin- cipium operandi, vel alicuius operationis, sed ordinatur ad esse, sicut gratia habi qualis, sanitas, & pulchritudo non sunt operativa, neque principium operandi, sed ordinantur ad esse; sic character bene disponit animam in ordine ad se, nõ tamen est qualitas ope- rativa; Oppositum tamen manifestè deducitur ex modo loquendi

Patrum, qui in characterem aliquam virtutem agnoscunt ad quos- dam operandos effectus, ita Ambrosius, Nazianzenus, & alii, & Cathedricus Romanus de sacramentis in genere, loquens de Sa- cramento Confirmationis, inquit, characterem per ipsam impressio- nem velut Christi milites, contra nobis infirmum hostem, & spiri- tualia nequitie in cælestibus armari, atque instrui; armari autem characterem virtutem quandam characteris, & efficacitatem signifi- cat ad agendum, & resistendum.

Solummodo esse difficultas an hæc potentia, & virtus chara- cteris ad quosdam effectus producendos sit virtus quædam physica, & ex natura rei conveniens, an potius moralis, eique conveniens tantum ex institutione divina; quod sanè lögè probabilis censetur, ut dicã conclusionem sequenti; Imò hoc tantum significare voluissè, & esse. Auctores pro opposita sententia supra relatos, quosdam abiebãt characterem esse metum, & nudum signum absque ulla activitate, & potentia causandi; Et quidem Caspensis pro ea sententia relatus ita se explicat tr. 20. disp. 4. sect. 1. in fine, ubi notat, quod character potest dupliciter considerari, & in esse physico, & in esse morali; primo modo tantum habet bene disponere animam in ordine ad esse, secundo vero modo disponit ad rectè suscipiendam, vel concie- dendam, & ministranda sacramenta; quapropter inquit, licet character in esse physico non sit potentia receptiva, vel activa; utrumque tamen habet in esse morali, quatenus reddit nos idoneos, ut ali- qua sacramenta suscipiamus, vel conferamus, quia sine characterè baptismi nullum sacramentum valide recipitur; & sine characterè sacerdotali nullum valide administrat sacramentum Penitentie, vel Extreme Unctionis; unde tandem concludit, quod licet in esse physico dici possit character esse in prima specie qualitatis, in esse tamen morali pertinet ad secundam; quæ circa hæc conclusio- nem nulla remanet difficultas, sed tantum an virtus, & potentia characteris defendi sit physica, vel moralis duntaxat.

202. Quarto dicendum est, characterem non esse potentiam pro- priam, & physice activam, aut passivam, neque habere ex natura sua physica ullam rationem potentie respectu illorum effectuum, qui communicantur iis, qui non sentit vera hæc propositio, quod character est potestas aliqua, ut potest character baptismi esse poten- tia passiva, per quam homo sit capax aliorum sacramentorum; cha- racter Ordinis est potentia quædam activa ad multos actus factos in Ecclesia; hæc, inquam, explicans propositionem, inquit, quod si accipitur potest simpliciter ad aliquem actum, qui sine illa potestate simpliciter nõ potest haberi, sic negat, characterem esse potestatem; nam baptizatus in nullam actum simpliciter potest, in quem non potest non baptizatus, & hoc, ut loquendo de actu, in quem potest active, sine de actu, quem potest quodammodo ab alio recipere, ita enim potest non baptizatus inungi christmate, sicut baptizatus, & ita potest abire, sicut baptizatus; Si autem loquamur de potestate non simpliciter, sed ministeriali, hoc est, per quam aliquis fit conveniens, & legitimus Minister alicuius principalis generis, & sine illa non esset conveniens Minister; in hoc sensu concedit, characterem esse potestatem, quod est dicere, esse potestatem moralem, non physice; Secutum sequuntur Suatez disp. 11. sect. 3. Bellarm. liq. 2. de sacramenti cap. 10. Coninch. qu. 67. art. 2. Avelia qu. 63. sect. 3. Pasqualig. disp. 64. sect. 2. & 3. & alii communiter.

203. Et facile suadet, quia character in aliquem effectum phy- sicum non induit, sed tantum moraliter, quatenus est quoddam si- gnum ex divina ordinatione ad hoc institutum, ut qui illo fuerit in- signitus, aptus sit, & habilis ad ea munera exercenda, quæ reperiuntur in receptione, vel administratione sacramentorum; quod de- claratur differtendo per tria sacramenta, characterem imprimen- tiam per baptismi characterem non habentem, & ordinem ad recipiendam cetera sacramenta; per characterem Confirmationis ad tuendam fidem, & per characterem Ordinis ad conferendos ordines, & ministranda sacramenta; ergo character est qualitas disponens ad alios actus recipiendos, & efficiendos; hoc autem loquendo de po- tentia physice verificari non potest, quia hi characteres physice in- differenter se habent, & ut abeat Doctor, anima æque physice po- test cetera suscipere sacramenta, sive habeat baptismi sacramen- tum, sive non; totum ergo provenit ex institutione divina, quatenus per ea factum est, ut non recipere possit ullum sacramen- tum, nisi baptismi supposito, neque ex officio ad ministrati, aut consecrati sacramenta, nisi ab habente characterem Ordinis.

Confirmatur, quia sufficienter declarari non potest, quem effe- ctum character per modum cause physice producat, neque quem formam in se per modum subiecti, seu potentie subiectivæ, & passivæ recipiat, & præsertim in sententia nostra docente, sacra- menta esse causas duntaxat morales, non physicas gratie. Hoc au- tem est contra factum declaratur per morale casualitatem, quate- nus per baptismum, eique character homo redditur moraliter capax, & habilis ad valide, & licite alia sacramenta suscipienda, & per sacramentum Ordinis, eique character redditur moraliter aptus, & habilis ad consecrandum, aliiq; ex officio suo dispensan- dum.

ad sacramenta. Unde character est quædam potestas spiritualis & supernaturalis patrum activa, & quidem character baptismi est potestas moralis passiva, quia hominem ad omnia alia sacramenta suscipienda aptum reddit, & sine ipso nulla aliorum sacramento- rum susceptio est legitima, & rata; Character Ordinis est activa potestas ad ministranda alia sacramenta; character tandem Con- firmationis, quia & activus est, & simul passivus, per modum utrius- que potestatis explicari potest; activa quidem, quatenus hominè constituit strenuum fidei propugnatorum; passivè verò, quia ho- minem præparat ad alia sacram. suscipienda, licet non de necessi- tate, ut baptismus, sed de congruentia, & decencia quadam. Ex quo tandem deducitur, potestatem, quam habet baptizatus, con- firmatus, & ordinatus, esse quid morale, scilicet, exigentiam assidue- tie divine ad eie cooperandum in quibusdam effectibus; caracte- rem verò esse quid physicum disponens moraliter, ac movens Deum ad huiusmodi assistentiam.

204. Denique quod character non sit principium physicum ali- quid agendi probatur ratione, veluti à priori, in sacramentis Con- firmationis, & Ordinis. Nam character Ordinis non est principium activum materialis actionis ipsius sacramenti, siquidem hæc suffi- cienter fit, & exerceatur ab imaginatione, & potentia externa in- gente, vel abluente, vel fructificante formam; neque est prin- cipium valoris, præter, vel fructus talis actionis sacramentalis, quia hic non habet principium physicum in Ministro, sed tota effica- cia est à Deo, sacramenta ipsa elevante ad producendum gratiam; Et hoc adhuc magis elucet in characterè Confirm. hic enim non est principium physicum confessionis fidei coram Tyranno, quæ est actio huiusmodi characteris propria, hic enim actus fidei ultra auxilium Dei, & habitum fidei, & fortitudinis animi principio phy- sico non eget, siquidem contingere potest, ut non cõfirmatus ma- jori auxilio Dei, suffulens firmiori constantia fidem confiteatur, quam confirmatus; ergo characteres Ordinis, & Confirmationis non sunt alicuius actionis specialis physicum principium, & ex natura sua, sed tantum morale, & ex institutione divina, modo jam explicata; nempe quod character dicitur habere rationem po- tentie, seu potestatis solum secundum moralem quandam consi- derationem, quatenus, scilicet, & est signum ex divina ordinatione ad hoc institutum, ut qui eo fuerit insignitus, aptus ad tale mini- sterium conferatur; Et hoc modo quod dicebat Sc. suprac. quod licet character esset relatio, & non forma ab absoluta ad hæc tamen ratio- nem in ministerialis habere potest, quia non oportet, ut talis po- tentie fuerit institut in actu, sed ut sit veluti cõditio requisita à prin- cipali agente in Ministro, ut eius actio, tanquã instrumentum utatur.

205. Quinto dicendum est, quod si character ponatur accidens absolutum, ut probabilis esse diximus, reponi potest in secunda qualitate speciei, ut potestas quædam spiritualis ad aliquod agend- um, vel recipiendum, character tamen quidem baptismi ad recipiendum; Ordinis verò, & Confirm. ad agendum. Conclufio est Doct. loc. cit. §. ad quæst. postquam alias superius n. 195. relatas reject senten- tias de hæc, in qua, scilicet, qualitas speciei reponendus sit cha- racter; Et facile probatur ex dictis, quia potentia, quæ est secunda species qualitatis importat essentialiter qualitates, quæ sit prin- cipium alicuius operationis; sed character est qualitas ex divina in- stitutione ordinata ad aliquam operationem, ordinatur enim ad cultum Dei, qui in Sacram. receptione, vel administratione exer- cetur, nam character baptismalis, ut dictum est, reddit hominè habilem, & idoneum ad omnia recipienda Sacram. & eorum effe- ctus, ita ut tali characterè neq; veris Sacram. recipienter, neq; effectus illorum. Character Ordinis dat facultatem homini, ut diversâ munera ipsorum ordinem exerceat, & ministret; Chara- cter denique Confirm. hominem ordinat ad hoc, quod fidem coram Tyranno confiteatur, quasi ex proprio officio, & munere; ergo character in secunda specie qualitatis reponi potest.

Sed dices, qualitas secunde speciei debet esse principium phy- sicum alicuius operationis, sed character non est principium phy- sicum alicuius actionis, nam ut supra dictum est in probatione præ- cedentis conclusionis, siue loquamur de confessione fidei, ead quam ordinatur Confirmatio, five de quacunque alia actione, ad quam or- dinatur sacramentum ordinis, quæ bene quoad physicam substã- tiam fieri potest in non habente characterem, ac ab habente illum, dummodo enim quis habeat fidem, & auxilium Dei necessarium, potest fidem profiteri sine Confirm. characterè, & sine characte- re Ordinis efficiere omnes operationes sensibiles, quæ exercent ve- rè ordinati; et enim ad hoc, quod tales operationes sint actiones sacramentalis, aliqua requiritur institutio, tamen totum phy- sicum, quod ille habent, sine tali institutione potest fieri; ita arguit Suatez disp. 11. sect. 3. cit.

206. Ob hæc rationem Aretius 4. d. 6. q. 10. art. 6. inquit, quod character propriè, & essentialiter nõ debet in specie potentie cõ- stitui, cum non sit potentia physice activa, vel passiva; atque adeo nec propriè potentia, quia nulla est verè potentia, nisi que reipsa, ac physice ordinatur ad aliquem actum; unde concludit, collocari propriè in prima qualitate speciei, ut habitus. Hoc sentit, Hicque- nus ibidè in Commentario, quia character est potestas solum moralis, &

Meld. in Quart. Sentent.

comprincipium physicum sui actus; magis videtur statuendus in prima specie, quia constat, esse per modum habitus, difficulter mobi- lis, & indelebilis. Alii verò Recentiores iniquant, quod licet qua- litates secunde speciei, quas novit Arist. semper sint principia phy- sica operationis; hoc tamen non est necessarium, quia ratio essentialis istius secunde speciei solum est, quod sit proximum principium ope- rationum, five physicum, aut potentie naturales, five morales, quæ character, qui est principium morale influens in actiones illas, qua- reperiuntur in susceptione, vel administratione sacramenti; Alii di- cunt, quod secunda species qualitatis potest dupliciter explicari, vel ita ut solam physicam potentiam importet, vel ut etiam mora- lem complectatur; hoc secundo modo character ad eam pertinet, sed primo modo non pertinet. Ut tamen salvemus, quod inquit Doct. loc. cit. quod si ponatur character accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima, melius etat hæc uti distinctione, quod character potest dupliciter cõsiderari, & in esse physico, & in esse morali; primo modo tantum habet bene disponere animã in ordine ad se, secundo vero modo disponit ad rectè suscipiendam, vel concieciendam, & ministranda sacramenta; & sic dici potest, quod character in esse physico est in prima specie qualitatis per modum habitus, quia est qualitas de se diffinibile mobi- lis, & indelebilis; in esse verò morali pertinet ad secundã, & sic in- telligendus est Doctor, cum characterem in utraq; specie reponit. Primo modo consideratur pertinet ad primam speciem, quia ita spe- ciatu est quædam forma supernaturalis perfectiõis, & disponens ani- mam, non in ordine ad aliquam operationem physicè elicendam, sed in ordine ad esse simpliciter, ornans, & obsignans illam, ut qui- cunq; sit eo insignitus, ita sit ex pacto, & institutione divina ad fa- ctas operationes exercendas, ita sit habilis eo modo, quo quis stem- mate, vel titulo aliquo ex Principis deputatione insignitus, ita sit ad præstantissimas Principis legationes obundas habilis evadit; Secundo vero modo cõsideratur, scilicet, secundum moralem po- tentiam, induit novum conceptum, secundum quem pertinet ad se- cundam speciem; Quod verò in aliis speciebus qualitates impermen- nenter reponatur, probat Doctor ipse factis dilucidè loc. cit. adeo ut majori explicatione non sit opus. Interim videatur, quæ de hoc puncto diximus disp. 7. 109. q. 3. 4. 3. declarandã species qualitatis.

ARTICULUS TERTIUS.

Solvuntur Objectiones contra præcedentem doctrinam.

207. In opposita Primò obijciunt Thomistæ, characterem nullatenus poni posse formam talem relativã, quia mu- tatio esse non potest, nisi ad formam absolutam 5. Physic. 10. sed ad solum characterem, est mutatio, ut patet de fcto, in quo causatur character tantum, & non gratia, ergo &c. Tum secundo, quia character est fundamentum multarum relationum, scilicet, affimi- lationis, distinctionis, & huiusmodi; sed relatio non est fundamen- tum relationis, quia tunc daretur processus in infinitum, ergo &c. Tum tertio, relatio non est principium agendi, vel patiendi; sed character est potestas, & principium agendi, vel recipiendi aliquid in Ecclesia, puta convenienter ministrandi, vel recipiendi aliqua sacramenta, ergo &c. Tum quarto, in quolibet sacramento susce- pro habetur in anima aliqua relatio de novo; ergo si character non est, nisi relatio, sequitur, per quodlibet sacramentum imprimi cha- racterem. Tum quinto, character est dispositio ad gratiam; sed gratia est forma absoluta, ergo & character, quia dispositio vide- tur esse ejusdem generis cum forma ad quam disponit. Tum sexto, character est principium assimilandi baptismatum Christo, vel alteri baptizato, sed similitudo est unitas, facta in qualitate; ergo &c. Tum septimo, quod verè, & propriè dicitur imprimi, est verè, & propriè aliquid absolutum, quia respectus, quicunq; in se nõ dicitur propriè imprimi, sed juxta Ecclesie determinatione characterem verè, & propriè imprimi dicitur, ergo &c. Tum octavo, omnis rela- tio præsupponit fundamentum, ex quo resultat, sed non potest assi- gnari fundamentum aliquod, ex quo resultat talis relatio, ergo &c. Minor probatur, quia in primis anima non est tale fundamen- tum, quia ex illa non resultat character, cum à Deo infundatur, & alioqui omnis anima haberet characterem; quæ etiam est tale fun- damentum gratiæ, charitatis, fides, aut alia virtus, quia sine omnibus his potest dari character. Tum nono, si character est relatio, assignari debet terminus huiusmodi relationis; hic assignari non potest, si præsertim ponatur relatio realis, ut fuscè probat Suatez, loc. cit. Tum denique, quia si character est relatio, non possit assignari, quomodo inest se differente characteres diversorum sacramentorum, quia essent omnes sub una specie relationis, nec sufficienter explicati, ad quod prædicamentum spectat.

208. Respondet ad hæc omnia Doctor loc. cit. Ad primum, inquit, quod ad respectum intrinsecum advenientem utiq; non est mutatio primò, sed solum præsupposita mutatione in subiecto, vel extremo penes aliquid absolutum, & de tali respectu loquitur Aristot. cit. 3. Physic. sed ad respectum extrinsecum advenientem, qualis debet poni character, si sit relatio, utiq; potest esse mutatio primò, ut patet de motu

motu ad Ubi, & fusc loco declaratum est in Logica, stabiliendo relationes extrinsecas advenientes contra dicta Adverlatio. Ad secundum negat minor, quia una relatio realis bene potest esse fundamentum alterius, sicut super unam relationem fundatur similitudo ad aliam eiusdem speciei, nec sequitur ex hoc processum in infinitum, quia aliqua tandem est relatio ultima, in qua datur status neque potest in ea fundari alia relatio realis, & est ita quo, ut non possit esse quod sit loco etiam dictum est in Logica. De relationibus vero rationis utique concedi potest processum in infinitum absque absurdo, quia quilibet relatio, sive realis, sive rationis potest ulterius fundare aliam rationem. Ad tertium, inquit, quod character proprie loquendo non est potentia activa, vel passiva, hoc est, physice, quia sine character absolute loquendo potest habens illum agere, vel recipere quicquid agit, vel recipit eum eo; sed pro tanto dicitur potestas, quia habens ipsam esse ordinationem divina est idoneus ad administrandum aliquid, vel suscipiendum; & de tali potestate non oportet, quod sit forma absoluta, sicut patet etiam in rebus humanis. Officialis enim potestas habet exequendum officii sententiam, & tamen nullam formam esse hoc recipit absolutam, imo nec aliquam formam realem, sed loquendo ita est constituit voluntas in futurum. Ad 4. inquit, dato etiam antecedente, quod in quolibet Sacramento aliquis respectus acquiratur sequens actionem, vel passivam esse eiusdem speciei, non tamen esset talis respectus, qualis character ponitur secundum conditiones characteris, superius enumeratas; sicut si ponitur forma absoluta, non est quocumque forma absoluta causata a Deo in anima in susceptione Sacram. initerabilis.

209 Ad 5. negat Doctor characterem esse proprie dispositionem ad gratiam, quasi aliquid causam causatitatem habeat respectu illius, & rursum negat dispositionem esse semper eiusdem generis cum forma, ad quam dispositio, siquidem calor est dispositio ad formam substantialem ignis, & tamen est de genere qualitatis; inquit ergo, posse dici dispositionem ad gratiam characterem, quatenus est forma prior, & imperfectior recepta in suscipiente sacramento initerabile; talem autem formam esse relativam, non inconvenientem, quia imperfectior est, quam absoluta precedere etiam potest, quia neque inconvenientem, intermedium ad actionem agentis, aliquid relationem praesupponi debere; exprimitur siquidem de facto, nos interdum alicui nobis conjuncto beneficium conferre, & affini, quod utique alteri tali relatione carere non conferemus. Ad 6. respondet, idem simile, & aequale posse fieri dupliciter, uno modo proprie, & expresse, alio modo communitate, & fusc; priori modo quod reperitur in solo genere substantiae, aequale in genere qualitatis, & in simile in genere qualitatis, ad posteriori modo in omni genere invenitur idem, simile, & aequale, hoc enim modo possunt habere relationes unitus speciei dici similes secundum unitatem specificam unitus relationis, non habentes unam formam substantialem secundum speciem possunt dici similes secundum substantiam. Ad 7. quod utitur Aretino esse notitiam ad probandum, characterem esse formam absolutam, dico, hoc argumentum utique efficaciter probat, characterem non esse relationem rationis, vel puram denominationem extrinsecam, quia Concilia dicunt, characterem imprimi in anima suscipientis, imprimi autem proprie est forma realiter inherens, sive sit absoluta, sive relativa, non enim proprie dicitur visio imperi in obiecto, quod extrinsecus denominat; quare absolute loquendo neganda est major, nam sigillum, & eius figura, quae meram relationem dicit, ut diximus in Logica, declarando quartam qualitatis speciem, cum omni proprietate in cera imprimi dicitur, & in tabula; praeterquam quod cum Patres, & Concilia dicunt, characterem imprimi per quadam sacramenta, impressio sumitur, ut idem sonat, quod collatio.

210 Ad 8. respondet Doctor lit. I. fundamentum characteris proximum esse ipsam nudam animam, sive essentiam, sive potentiam, ut dicemus sequent. artic. quia respectus extrinsecus adveniens fundari potest super fundamentum, ex cuius principis nullatenus egredietur, nec fundamentum eius proximum determinari oportet aliquo modo ex ratione sua propria, quia tunc non esset respectus extrinsecus adveniens, sed precise determinatur ad illum ab ipso agente, ut dictum est in Logica, declarando naturam relationis extrinsecus advenientium. Ad nonum dicendum est, characterem habere pro termino Christum sub ratione capitis, & peculiaris Domini, nam per characterem in baptismo impressam describitur homo particulariter in familia Christi; per characterem confirmationis refertur eidem per modum militis eius in defensionem fidei; Et per characterem tandem ordinis Christi refertur, quia est peculiariter deputatus ad actus introductionis aliorum in familiam, & in gradus familiae Christum. Ad ultimum denique respondet Doctor, quod sicut si character poneretur forma absoluta, distinguenter characteres seipsos formaliter, casualiter verò, & extrinsecus ad sacramenta, si quis imprimere; ita si ponatur respectus, distinguenter formaliter seipsos, licet ab extrinsecus per alia possent extrinsecus distinguere; Faeor tamen, difficillimum esse explicare, ad quod praedicamentum relatio ista pertinet, & assignare quidnam respectus ex natura sua, tanquam terminum, nam Christus sub ratione capitis, & peculiaris Domini vi-

detur terminus eius, ut est signum ad placitum; pro quo modo solvendo pura habet Blanc. disp. 9. ar. 3. quae tamen non plenè satisfaciunt, & ideo praebabilior est altera pars problematis, quod character sit forma absoluta.

211 Secundo arguit Scotus. Recentiores probando, characterem probabilius poni formam relativam, quam absolutam, quia Concilia, & Patres characterem signum appellant; sed ratio signi est relativaj ergo ratio characteris relativa est, & in relatione consistit. Tum secundo, quia relatio servit ad Dominum, vel ratio praedicationalis; sed per characterem baptismi, verbi gratia refertur baptizatus, tanquam servus ad Christum; ergo est relatio praedicationalis. Tum tertio forma absoluta accidentalis quocumque est delectibilis subiecto, in quo est, sed character est simpliciter indelectibilis, ergo &c. Tum quarto si character esset forma absoluta, eum non sit substantia, vel quantitas, deberet poni qualitas; sed hec dici non potest, ubi &c. Probatur minor, quoniam qualitas suscipit magis, & minus, aut character non est intentionis capax, quia tunc unus diceretur magis Christianus, & magis Sacerdos, quam alteri: Et omnis qualitas habet aliquem effectum realem; character vero nullum talem effectum realem habet. Tum tandem, quia sicut non sunt plura ponenda sine necessitate rationis, vel fidei sequenti fidei, vel rationem, nec ponendum est, aliquid id esse perfectius sine necessitate fidei, vel rationis; sed nulla apparet necessitas nec fidei, nec rationis, quod character ponatur absolute, ut patet solvendo rationes in oppositum ad ductas a Thomist. ergo &c.

212 Respond. ad primum, quod sicut causa aliquid fundatur formaliter pro relatione causae ad effectum, aliquando vero materialiter pro ipsa entitate causae, quae est fundamentum talis relationis; quo sensu dicimus, ignem esse causam caloris, & narum esse principium motus, & quietis; ita signum dupliciter sumi potest, primo formaliter pro ipsa relatione signi, deinde materialiter pro fundamento proximo talis relationis; Quando itaque Concilia, & Patres characterem signum appellant, loquuntur de signo in hoc secundo sensu, scilicet, de fundamento relationis signi, quatenus enim character sit entitas absoluta, est tamen ad huc fundamentum relationis signi, ergo modo quo haec suspensa est signum vini ypalis, & verba sunt precise inventa, ut sine signi conceptum, & tamen nemo dicit, hec esse relationes, licet prout signa, connotent relationem.

Ad secundum si quid concluderet, probaret, characterem esse relationem intrinsecam, & non extrinsecam advenientem, ut probabiliter ponitur a Scoto, quia relatio servituti est intrinsecus adveniens; dicendum igitur, quod proprie loquendo character non constituit servum Christi, sed solum ostendit, hominem eo signatum esse talem; sicut etiam in humanis signatur servus, vel miles, character aliquo, qui cum non facit servum, vel militem, sed solum ostendit, eum esse talem.

Ad tertium aequè probaret, characterem non esse respectum praedicationalem, quia hic quoque a suo fundamento deberet potest; constat autem ex dictis supra in hac quaest. n. 192. characterem deici indelectibile tantum de potentia Dei ordinaria ob rationes ibi adductas, non autem de potentia absoluta.

213 Ad quartum negatur minor, ad primam probationem conceditur quo amplius, characterem non esse intentionis, & latitudinis gradualis capacem, & esse qualitatem in indivisibili consistente, nec repugnare putant qualitate, quae non sit intentionis capax, unde volunt, characterem esse in omnibus aequalem, ita Suarez Cardinalis de Lugo, Poncius, & alii in presenti; Vasquez vero ait, characterem utique de facto esse in omnibus aequalem, an vero ex natura sua sit capax intentionis, inquit, non posse nobis constare; Verum dari posse qualitatem intentionis incapacem, non facit mihi probabile, videtur, cum haec sit eius passio, unde si character est qualitas, erit quoque ex natura sua intentionis capax; adhuc tamen dicendum est, de facto non dari characteres magis, vel minus intentionis, licet absolute loquendo sint talis intentionis capaces, sed in omnibus, & singulis quoad latitudinem gradualis, esse aequales, quia secundum omnes gradus, quos habent a Deo ordinantur ad deum inordinatim, & indivisibiliter hominem Christianum, vel Sacerdotem, vel Confitem. Imò etiam concederetur, dari de facto characteres magis, vel minus intentionis, ut quibusdam placeat, & quoad gradus inaequales; adhuc in praestanda denominatione Christiani, sacerdotis, vel Confite. aequales poni deberent, quia denominatio Christianitatis, vel Sacerdotis consistit indivisibili, cum jus eorum sit aequale, quod bene declarat Brancatus post. disp. 9. ar. 2. exemplum Equium Sancti Iacobi, vel Sancti Ioannis, qui per crucem eorum, vel rubram in tali militia consignantur; neque enim ex hoc, quod quis crucem magis aliam, vel rubram ad Praefectum Equitum obtineat, sequitur, quod dicitur debet magis Eques. Ad alteram probationem eiusdem minoris, negatur, characterem non de servitute subiecto, cui inest, in ordine ad aliquem effectum realem, de servitute enim ad determinandum intellectum eius, qui ipsam videt, ad eius cognitioem, & ad distinguendum habentem ipsam ad eos, qui ipsam non habent. Ad ultimum, licet non appareat necessitas simpliciter ad ponendum, characterem esse aliquid absolutum, maior tamen

tamen congruentia est ad salvandum, quocumque; de ipso dicuntur, si ponatur importare aliquid absolutum, quàm relativum; & licet salvari possint omnia de ipso etiam ponatur relativum, tamen, ita convenienter, & evidenter secundum intentionem communiter loquentium de characterem constat ex dictis.

214 Tertio arguit contra secundam conclusionem Lugo, & Amic. probando, characterem esse signum naturaliter significans, non autem mere ad placitum, & esse institutione divina; hoc enim magis videtur juxta mentem Patrum, & Theologorum, qui per illam rationem signi, & sigilli explicat naturam characteris, nam si ex sola Dei institutione habet significare, oportet illam qualitatem aliam esse habere naturam, & munus, quatenus non bene explicatur eius natura per significationem, quam accidentaliter, & extrinsecè habet; imò ad id munus significandum potuisset eodem modo aliam quolibet alia qualitas, vel habitus, nam ex institutione quolibet res potest esse signum potestatis, vel Sacram. accepti. Tum secundo, quia absque ulla fundamento diceretur character esse qualitas supernaturalis, si enim non significaret gratiam, vel potestatem illam ex natura sua, sed ex institutione, non minus potest id habere qualitas naturalis. Tum tertio, quia non repugnat dari talem qualitatem, quae ex natura sua significet, & designet domesticos, vel milites, vel Ministros Christi; si autem talis ponatur de facto, explicatur optime effectus formalis characteris, qui est forma de se formaliter signans, & sigillans tale subiectum cum tali respectu ad Christum. Tum quarto, quia si character non haberet ex se hanc vim configurandi, & assimilandi nos Christo, non esset maior ratio, cur Deus ad talem effectum potius uteretur characterem, quam quavis alia qualitate, sicut ob eandem rationem docent communiter Theologi, gratiam habituale in supra natura esse justificativam subiecti, quia aliquo non esset maior ratio, cur Deus ad justificandum homines adhiberet talem formam, & non aliam. Tum tandem, & ait Amic. esse rationem a priori, quia Deus ut inductione constat, semper operatur effectus per causas secundas, modo conaturaliori, conaturaliori autem modus est, ut character non ex extrinsecis voluntatibus, & beneficiis Dei, sed ex natura sua configuret, & assimilet nos Christo; ergo si talis naturae character est possibilis de facto concedendus est.

215 Resp. ad primum negando assumptionem cum eius probationem, nam quando Patres per illam rationem signi, & sigilli explicat characterem, plane naturam characteris indicant non intendunt, sed munus, ad quod a Deo est institutum, unde etiam sententia illi, quae est tale signum, accidentaliter conveniat, quod sit signum, hoc munus praesertim explicare debuerunt; adhuc tamen vetum est, Patres indicasse quoque naturam characteris per quendam praedicationem ipsius naturalis, dum dixerunt, esse aliquid indelectibile amplexu, & similia, quae illi ex natura rei conveniunt. Ad secundum negatur rursus assumptum; quatenus enim absolute loquendo potuisset Deus hoc facere per qualitatem ordinis naturalis, congruentius tamen id fecit per qualitatem ordinis supernaturalis, siquidem esse indelectibile signum, & significare gratiam, & potestatem illam, cetera huiusmodi supernaturalia, congruentius convenit qualitatei supernaturali, quae naturalis, semper enim Deus operatur effectus per causas secundas modo conaturaliori. Ad tertium negatur etiam assumptum, talis namque repugnancia iam sufficienter est assignata in probanda secunda conclusione, n. 200. Ad quartum negatur denud assumptum, iam enim assignata est congruentia, cur Deus ad talem effectum potius utatur characterem, quam quavis alia qualitate; negatur etiam, gratiam esse supra naturam justificativam subiecti, exigentia namque gratiae, ut habens eam justificetur, est moralis non physica, ut late explicatum est lib. 2. sentent. disp. 7. q. 1. art. 1. n. 14. ubi etiam n. 16. declaravimus, cur hoc non obstante Deus hanc formam potius deputaverit ad hoc effectus supernaturalis praestandos, quam aliam qualitatem, si eos non praestaret ex natura rei. Ad ultimum, concessa maiori negatur minor, & repugnancia iam assignata est in probanda secunda conclusione.

216 Quarto arguit contra quartam conclusionem Lugo, Berni, & alii Thomist. probando, characterem habere rationem potentiae physicae erga suos effectus, & non moralis tantum; quod probant ex modo loquenti Patrum, qui in characterem aliquid virtutem agnoscunt ad suos effectus operandos. Tum 2. ratione deseruit enim character in ordine ad Angelos, ut visio characteris specialiter eorum habent illuminandi, & protegendis, & gubernandis, quos videt, habere signum Dei in frontibus suis, inquit D. Bassilius; movetur etiam Deus ab eo characterem visio ad conferenda auxilia, & gratias in ordine ad actiones illas, ad quas per tale sacramentum destinatur specialiter homo, & in hoc sensu dicitur homo armari, & instrui characterem, quatenus character movet Deum ad dandum illuminationem, & arma spiritualia; Tum tertio, quia potest etiam dici potentia physica in ordine ad resistentium, quia exigit, quod tentationes internae, & externae vel impediunt, vel minuuntur, quos effectus licet non operetur physice, tanquam causa efficiens physica, operatur tamen per exigentiam physicam, quia illos exigit per modum quodam causae formalis physice. Tum quarto, quia Sacerdos mediante characterem active, & physice absolvit, & Eucharis-

consecrat, ergo est potentia activa physica. Tum tandem, quia dicitur potentia physica, quia sublati actus redditur nullus, & quia posita actus est efficax; Sed ablati characterem vanè recipitur, & traditur sacramenta, ut constat ex dictis ergo characterem esse potentiam physica.

217 Respondetur, auctoritates Patrum a Lugo adductas de potestate morali posse intelligi, cum enim non determinent de qua potestate loquantur physica vel morali, tam bene de morali intelligi possunt, quàm de physica. Ad secundum negatur, characterem ex natura sua physica habere vim movendi Deum, & Angelos ad illa auxilia praestanda, movet enim solum, quatenus est signum ex institutione, ut supra declaratum est, eo modo quo hederat vim habet movendi homines ad vinum emendum, ubi vini venalis signum est institutum. Ad tertium dicendum est, per ipsam characterem significari solum, quod aliquis sit famulus, vel miles Christi, aut habens potestatem ordinatum, non autem per illum constitui formaliter talem; quod si quis contendat, per characterem non solum hac significari, tanquam per nudum signum, sed etiam constitui formaliter talem; sicut sacramentum non solum significat, sed etiam causat gratiam, cum hoc discrimine solium, quod sacramentum sit causa efficiens, character vero causa formalis tantum; ad huc dicemus, hoc concessio, non haberi characterem esse causam talem ex natura sua physica, sed ex institutione, & ordinatione Dei, & consequenter non erit nisi causa formalis. Ad quartum patet solutio ex dictis supra de Sacramento casualitate, ubi ostendimus, neque Sacramenta, neque eorum Ministros esse causas physicas gratiae, sed tantum morales. Ad ultimum negatur maior, quia illud etiam convenit potentiae morali.

218 Quinto arguit, contra quintam conclusionem, quod non bene character ponatur in secunda qualitate speciei, quia sub hac specie Aristot. solum locat potentias naturales, & congenitas, non autem ab extrinsecis infusas; Deinde character non est physica potentia, sed tantum moralis, ut dictum est, qualis est Regia, vel Pallas, in hac autem specie solium locatur potentia physica. Deinde character baptismi ad nullam ordinatur actionem, sed solum ad receptionem Sacramentorum; sed ad qualitatem de secunda specie non sufficit, quod ordinatur ad recipiendum, quia debet esse potentia activa, non passiva.

Respondet Doctor, quod est Philosophus ibi non loquitur, nisi de potentia naturali exemplificando, tamen potentia supernaturalis, si est absoluta, & accidentalis, & spiritalis, bene potest pertinere ad idem genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali, sicut & habitus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali. Ad secundum constat ex dictis supra num. 206. accedit, posse etiam characterem dici potentiam physicam respectu quorundam actuum, quatenus, scilicet, causat notitiam Christiani, vel Sacerdotis, aut Confitemini in intellectu proportionato, scilicet, Angelico, vel humano separato, & physice distinguit habentem ipsam ab eo, qui ipsam non habet, ut patet ex dictis num. 213. Ad tertium licet per characterem baptismalem solum ordinetur homo ad receptionem sacramentorum, potest tamen hac ipsa ratione dici, quod ordinetur ad aliorum actionem, & operationem, quatenus sacramentorum susceptione multas in voluit operationes, siquidem cum talis susceptio voluntaria esse debeat, debet pariter eo ipso involvere aliquem voluntatis actum; quare character baptismalis reddit hominem aptum, & idoneum ad huiusmodi actiones exercendas, quatenus utiles sunt ad receptionem sacramentorum, & fructus eorum.

219 Postremo arguit, quod neque in prima specie bene reputatur character in esse physico consideratur, ut dictum est in eadem quarta assertione; non enim bene dicitur habitus, quia deberet esse causa aliquorum effectuum, quatenus non assignatur, nec etiam bene diceretur dispositio, siquidem non assignatur, ad quid dispositio, non enim disponit ad gratiam, quia haec immediate recipitur in anima, neque ad alios effectus. Deinde, quia melius operetur in tertia specie, nam character est quoddam lumen spirituale animae, ergo pertinet ad tertiam speciem, sicut ad illam pertinet lumen corporale. Tandem quia non minus bene pertinet ad quartam, nam character est quoddam figura spiritalis, ergo ad eam pertinet, ad quam spectat figura corporalis.

220 Respondet Doctor, quod potest in prima specie reponi sub habitu, quatenus est de se difficile mobilis, & habet suos effectus, tum in genere causae formalis, quatenus configurat, & signat, & sigillat; tum etiam in genere causae efficientis, scilicet, moralis, quia exigeret moraliter determinata auxilia, & adiutoria, ut supra declaratum est, prope est etiam reponi sub dispositione, quatenus disponit ad gratiam per modum formae praesuppositae, ob perfectionem gratiae, quo pacto forma prior, sine qua non recipitur posterior dicitur dispositio ad illam, ut dictum est disp. 7. log. quaest. 3. art. 3. n. 119. Ad 2. solet responderi, qualitates tertiae speciei debere esse corporeas, & sensibiles, ac proinde characterem ad hanc speciem pertinere non posse; Sed quia loc. cit. qualitas etiam spiritalis qualitates ad tertiam speciem pertinere diximus, potius dicendum est, ideo characterem ad eam speciem non pertinere, in qua ratio qualitatis tertiae speciei, ut ibi dictum est, consistit in hoc, quod

quod perficiat subiectum in ordine ad seipsum per modum cuiusdam ornatus, & perfectionis ipsius, non in ordine ad aliquam operationem, ideoque cum character sit spiritualis quaedam potestas ad operationem ordinata, non erit qualitas tertiae speciei.

Ad 3. inquit Doctor, rationaliter hoc asseri non posse, quia nihil collocatur in genere per proprietates metaphoricarum, sicut est ista characteris anima, alioquin Christus esset verè in genere substantie inanimatae, quia dicitur petra; tum quia secundum communem sententiam cum figura fit modus quantitatis, proprie non dicitur figura, nisi solum corporales, & idèd cum character sit forma quaedam spiritualis, ad quartam speciem qualitatis pertinere non potest.

ARTICULUS QUARTUS.

Resolutio Quaestionis quoad alteram partem.

221 Altera pars questionis erat, quodnam sit subiectum characteris & ut constat ex ipso quaestio titulo, quaestio non est de subiecto remoto, quia hoc solum potest esse homo, qui solus est sacramentorum capax, & effectuum ipsorum, inter quos est character; sed tota difficultas est de subiecto proximo, & immediato, quod apposite addo, quia loquendo de subiecto proximo, ut à remoto cõdistinguitur, certum est, tale subiectum esse animam, sic enim definitur in Concil. Flor. in decreto fidei, & Trident. sess. 7. can. 9. dum dicitur: Si quis dixerit in tribus sacramentis Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, anathema sit; Quia tamen in anima distinguimus essentiam, & duas potentias, scilicet, intellectum & voluntatem, quæstio est inter Theologos, ubi nam proxime, & immediate subiectum characteris, an in ipsa anima substantia, an in aliqua ex eius potentiis; Et quidem cum anima sit spiritualis, atque indivisibilis substantia, & omnes eius potentie sint idem realiter cum illa, ut in lib. de Anima contra Thomistas sanctum est, certum est, ipsam totam esse characteris subiectum in hæc sensu; unde in sententia nostra non est tanta difficultas in hoc puncto, quanta est in sententia Thomistarum, potentias animæ realiter ab ipsa distinguuntur; siquidem apud nos hæc sola remanet difficultas, an character subiectetur in anima, sub ratione formalis animæ, an potius sub ratione formalis intellectus, vel voluntatis; cum alioquin gratia formaliter, eandem realiter formam esse animam secundum unam formalitatem, & considerationem, intellectum secundum alteram, & voluntatem secundum aliam.

222 Quamvis autem Ponticus ex nostris hæc ratione difficultatem hanc parvipendat, disp. 41. q. 8. in fine, imò dicat, probabilius videri, quod character subiectetur in anima sub ratione animæ, quandoquidem non fit principium ullius operationis intellectus, aut voluntatis, & non magis exigit, auxilium conferri uni ex illis potentiis, quam alteri; Nihilominus à sententia Doctoris recedendum non est, & dicendum cum ipso, ad 6. q. ultima, characterem immediate subiectari in voluntate, vel subiectari in anima sub ratione formalis voluntatis, quod ibi probat ratione factis evidenti, quia si character est signum, vel fundamentum obligationis animæ ad Deum, rationale est, quod ponatur in illa potentia, cuius est primò obligari, vel esse rationem obligandi; talis autem est voluntas, quia præcise per eam actum aliquis se obligat principaliter; illa enim, quæ concurrunt ibi ex parte intellectus, vel alterius potentie, in homine non sunt, nisi quaedam præambula ad firmum velle, quod est rationabiliter proponere, vel vovete, vel quædam signa manifestativa, illud esse firmum.

Respondent Adversarii negando, characterem esse signum obligationis, & voluntatem esse potentiam, in qua contrahitur obligatio, quo etiam dato non bene adhuc deducitur consequentia, quia non oportet, signum obligationis poni semper in voluntate, sed ibi, ubi videri possit, ut contingit in signo servis imposito, quod magis habet locum in characteris sacramentali, qui non semper suscipitur liberè, ut constat in infantibus baptizatis, & confirmatis, & qui possent etiam ordinari antè usum rationis.

223 Hanc tamen evasionem bene præcludunt nostri Faber, Brancatus, & alii; irrationabiliter enim omnino negatur, signum militie Christianæ, & adoptionis in Christi familiam esse signum obligationis, & non inducere obligationem, ut constat de signo servis imposito, quod planè obligationem servitutis inducit; Et adhuc irrationabiliter negatur, voluntatem esse potentiam, per quam contrahitur obligatio, etenim homo nõ obligatur, nisi per voluntatem, quæ ab homine seclusa, planè foret homo obligationis incapax, & quamvis necessarium non sit, poni semper signum obligationis in voluntate, ut constat de signo servis imposito, certè rationalius, & congruentius videtur, ponendum esse tale signum in potentia obligationis contractivæ, quam alibi, quando commodè id fieri potest; & si posset Dominus mancipium suum in voluntate ipsa signare, ut quid faceret, quia ergo est in libera Dei potestate characterem imprimere, ubi sibi libuerit, planè congruentius erit, quod in voluntate ponatur, quæ est regina potentiarum, & potentia obligationis contractivæ, & principium omnis actus meritorii, Nec suffragatur, quod de infantibus baptizatis addit Cardin. de Lugo;

quia possunt infantes obligari voluntate Fratrum, & Curatorum, aliàs Adamo peccante posteri non contrahunt, neque votum publicum à Magistratu; & Communitate contractum solvi debere à plebe, & factis, quæ omnia constat, esse falsa.

224 Deinde idem probat Doct. alia ratione factis probabilibus, quæ dispositio, & forma, ad quam est dispositio, ponuntur in eodem subiecto; ergo cum gratia, & charitas ponantur in voluntate, tanquam in subiecto, sequitur, characterem quoque debere in voluntate locari, tanquam in proximo, & immediato, cum sit dispositio ad gratiam sacramentalem.

Ref. rursus negando, gratiam esse in voluntate, vel esse idem cum charitate, vel characterem esse dispositionem ad gratiam, & licet effectus dispositio, posset esse adhuc in diverso subiecto, ut actus fidei disponit ad actum charitatis, qui est in voluntate, & actus supernaturalis disponit ad gratiam, quæ est in essentia animæ; & ratio est, quia istæ sunt dispositiones morales, non verò ex natura rei, de quibus tantum verificatur dictum illud, quod forma, & dispositio ad illam ponuntur in eodem subiecto. Sed gratiam non esse virtutem à charitate distinctam, & immediate subiectari in voluntate, iam ex professo docuimus lib. 2. sent. disp. 7. de iustificatione u. 6. art. 2. Et quando Doct. inquit, characterem esse dispositionem ad gratiam, planè non intelligit, esse dispositionem necessariam, & ex natura rei, ita ut gratia nequeat sine characteris productione, quia tunc necesse esset, omnia sacramenta imprimere characterem, cum omnia conferant gratiam; sed intendit tantum, characterem esse dispositionem gratiæ in illis sacramentis, quæ characterem imprimunt, & hoc ex institutione divina, que in huiusmodi sacramentis voluit, formam imperfectiorem ipsam gratiam præcedere, quod congruè fuit propter peculiarem gratiæ excellentiam, per illa Sacram collata, & naturam illorum sacramentorum, & licet character non esse dispositio ex natura rei ad talem gratiam, sed tantum moraliter, si voluntate Dei sic coordinatis hæc probabilius est, & congruentius, quod ponatur in eodem subiecto cum forma, ad quæ est dispositio.

225 Denique probari potest, quia etiam character non sit potentia physica, aut physice operativa, est tamen potentia moralis reddens homines aptos, & idoneos ad exercendum actus pertinentes ad recipiendam, vel ministranda sacramenta, qui actus immediatus, & principaliter exercetur ad voluntate, siquidem per actus sacramentales debetur honorem Deo reddimus, qui est actus Religionis, qui est virtus ad voluntate pertinens, cum sit pars iustitiæ, quam omnes Theologi docent, in voluntate collocari.

Respondent, actus huiusmodi exerceri immediate ab intellectu, & voluntate mediis auxiliis, quæ Deus confert ad tales actus; huiusmodi verò auxilia pertinent ad intellectum, & voluntatem; & præcipue ad intellectum, à quo incipit sancta cogitatio, sed gratia excitans, quæ est primum auxilium, atque ita concludunt, characterem, si in potentiis animæ collocetur, vel in utraque adæquate collocari, debere, vel præcipue in intellectu, nam character ordinatur ad efficiendam fidei professionem per susceptionem, vel administrationem sacramentorum, vel confessionem fidei coram infidelibus, atque idèd statui debet in eodem subiecto, in quo est fides, nempe in intellectu.

226 Cæterum non posse characterem in utraque potentia collocari, ex eo constat, quia non componitur ex duabus partibus, neque potest una simplex, & indivisibilis qualitas in duplici subiecto immediate distrahari; sed vel in substantia ipsa animæ immediate reponi debet, ut aiunt Recentiores, vel in altera tantum potentia, & probabilius est, hæc esse voluntatem, quam intellectum; licet enim character ad efficiendam fidei professionem ordinetur, quæ est actus intellectus, adhuc tamen potius in voluntate poni debet, quàm in intellectu, quia ab eo oritur voluntas credendi, & protestatio fidei, & ea voluntate posita sequitur necessariò assensus, vel professio externa fidei, unde protestatio fidei est actus à voluntate imperatus, sicut & ipse assensus interius, neque; alio modo potest esse actus humanus, & meritorius, ut enim inquit Aug. cætera potest homo nolens, credere verò non nisi volens, quod omnis fidei assensus necessariò à voluntate dependet, in qua præcedere debet præcredibilis affectio, ut dicitur ead. lib. 3. sent. disp. 6. quaest. 8. & p. Cum igitur primum principium actus credendi sit voluntas, & etiam omnis moralitatis, & meriti, in ea potissimum requiritur auxilium ad volendum efficaciter assensum, vel protestationem, & consequenter in ea potissimum quoque statui debet dispositio ad tale auxilium, qualis dicitur esse character.

Sed urges, antecedenter ad imperium assensus, & protestationis fidei requiritur consideratio obiectorum fidei; & consequenter antè huiusmodi imperium indiget intellectus auxilio ad considerandum obiecta, quæ voluntati proponunt, & post ead assensum, ergo character, qui ex institutione divina affertur, non ad talia auxilia habenda, potius in intellectu collocandus est, quàm in voluntate, vel in utraque potentia.

Resp. gratis concedendo, intellectum indigere auxilio ad contemplationem obiectorum fidei, & eorum assensum; cæterum cum assensus, qui ab intellectu produciatur, à voluntate imperari debeat ut sit humanus, & meritorius, ac patitur continuatione, & perseverantia.

venfanti, & reflexio ad eadem objecta prius cognita; character jus affertens ad auxilia per his actibus necessaria convenientibus in voluntate videtur collocandus, tanquam in potentiarum regina, & in principio imperativo actuum, qui ab aliis efficiuntur potestis.

227 In oppositum arguitur, primo, quia character principaliter ex sua ratione, & quidditate habet configurari animam, sed hoc non est pertinere ad potentias, quàm potius ad essentiam animæ, & ipsius substantiam, ergo &c.

Confirmatur, quia etiam habitus acquisiti, vel infusi non recipiuntur immediate in anima, sed in potentiis, non debet id de characteris affirmari, nam habitus datur ad cooperandum cum tali potentia; character verò, cum non sit qualitas operativa, sed datus potissimum ad perficiendum, & ornandum subiectum, nõ procedit in illo eadem ratione, quem in habitibus acquisitis, vel infusis. Demum characteri quatenus dicitur potestas, se habet quasi potestatis, sed potestatis sunt in essentia animæ immediate; ergo character potius est in essentia animæ, quàm in potentiis.

Resp. argumentum urgere contra Thomistas, potentias animæ realiter ab ipsa distinguuntur, non verò contra Scotistas, qui eas cum anima substantia realiter identificant, & idèd si aliquam configurant characteri potentiam, opus est, ut eo ipso substantiam quoque animæ configunt, cum qua realiter est eadem.

Ad Confirm. negatur, characterem esse nudum signum datum præcise ad perficiendum, & ornandum subiectum; quamvis enim non sit potentia physica, aut physice operativa, est nihilominus potentia moralis reddens homines aptos, & idoneos ad exercendum actus pertinentes ad recipiendam, vel ministranda sacramenta, qui actus ad Religionem spectant, omni per eos debetur honore, & cultum Deo reddimus; idèd cum talis virtus ad voluntate spectet, congruentius character in ea collocabitur, quæ in ejus actus inclinatur, quàm in intellectu, vel in nuda animæ essentia. Ad ultimum, potentie animæ naturales utique immediate in anima substantia subiectantur, vel potius sunt idem cum animæ essentia, character verò est supernaturalis potentia moralis, quæ se habet veluti habitus supra dicti, ubi est, quod in potestatis est collocandus.

228 Deinde arguitur Thomistæ, quod character sit potius in intellectu, quàm in voluntate, nam character ordinatur ad protestandam fidem, sed fides est in intellectu, ergo etiam character. Confirmatur, quia character est lumen quoddam spirituale, ut constat ex modo loquendi Patrum, sed lumen debet esse in intellectu, ut illum illuminet, ergo &c. Tandem character est quoddam signaculum, quo insignitur anima ad suscipiendum, vel tradendum aliiis ea, quæ pertinent ad divinum cultum; sed divinus cultus consistit in actibus intellectus, & voluntatis, & præcipue in actibus intellectus, ex quo incipiunt omnes aliæ operationes ergo dicendum est, characterem esse in his potentiis, & præcipue in intellectu.

229 Resp. argumentum potius probare oppositum, quod nempe character sit in voluntate, à qua oritur voluntas credendi, & protestandi fidem, ut dicitur ead. supra nu. 226. tum quia operationes sacramentales, ad quas character inclinatur, licet fidem præsupponant in operante, non tamen sunt fidei, sed fidei religionis protestationes, quæ est habitus voluntatis; tum tandem quia neque actus ipse fidei est moralis, & meritorius, nisi à voluntate sit impetratus; & multò minus protestatio fidei, quæ fit per actus sacramentales, siquidem non ab intellectu, qui aliiis potentiis imperare non potest, sed à voluntate sola imperatur.

Ad Confirmationem characteris dicitur lumen metaphorice solum non verè, & proprie, quatenus scilicet, sigillando tale subiectum indicat, illud deputatum esse per tale signum Christi domesticum, vel Militarem, vel Ministrum, quo pacto etiam character fertur alios illuminat, ut illum agnoscant, esse servum, nec tamen recipiunt in intellectu servi, cum igitur character sit signum, quod aliis manifestat statum meum, non ob id opus est, ut recipiatur in intellectu meo; potest etiam dici lumen, quatenus affert titulum, & jus morale ad divinas illustrationes habendam in ordine ad executionem tale, vel tale munus, & neque ex hoc capite opus est, ut recipiatur in intellectu. Ad ultimum, hoc etià potius probat oppositum, nam si character ad actus cultus, & religionis est ordinatus, huiusmodi actus primò, & per se à voluntate causantur, fieri elicitur, sive imperati, & actus ipse fidei non est moralis, nec meritorius, nisi à voluntate imperatus, unde patet, omnino falsam esse minorem, ut constat ex dictis nu. 226. & virtus Religionis ad voluntatem pertinet, non ad intellectum, cum sit pars iustitiæ, ut dicitur ead. lib. 3. sent. disp. 7. non igitur character est in intellectu, quia licet cultus Dei sit potestatis fidei, non in intellectu, quia licet ad voluntatem, sicut virtus Religionis, non tamen formaliter spectat ad voluntatem, sicut virtus Religionis, quæ habet pro obiecto, & exercitio sicut cultum Dei, non est in intellectu, sed in voluntate. Dicitur character est signaculum fidei Christianæ, sed in intellectu, ubi est fides. Nego consequentiam, nam etiam Crux in Equitate signum Christianæ militie manibus extendenda, & tamen Crux manibus non imponitur, sed in pedore geritur; sic ergo poterit etiam character signaculum fidei Christianæ, quæ est in intellectu, licet ipse non sit in intellectu.

230 Hæc disputatio solet, in sacramenta veteris legis characteris haberi, in Quarta Sententia.

impressum, & communis opinio negat, eo nixa fundamentò, quo dicitur omnia illa Sacram. à ratione veri Sacram. deterrere; Scotus verò è contra 4. dist. 6. quaestio, in solutione primi concedit, impressum fuisse characterem per Circumcisionem, quæ fuit verum Sacram. legis scriptæ, ut constat ex dictis superius quaest. 2. & sequuntur omnes Scotistæ, uno excepto Hiquo, qui ibidem in Commentario oppositum iudicat probabilius, & magis de mente Patrum; hoc autem probat Doctor, quia Circumcisio in lege scripta ita erat anima salutis, sicut baptismus in nova, & ita distinguitur familia Dei, & Messia, quem circumcisi credebant, aliquando venturum, sicut modo baptismus; & ita per circumcisionem ex opere operato conferebatur gratia, sicut modò per baptismum, ut dicitur ead. quaest. 2. cit. quare sicut baptismus habet causam characterem imprimendi, ita à pari dici potest, impressum fuisse per Circumcisionem; Et hoc idem, & eadem ratione affirmari potest de remedio legis naturæ contra originale, quod etiam perseveravit in lege scripta, quia aliàs feminæ non acquiritur potestatem masculis in donis supernaturalibus, si per circumcisionem collatus fuisset character, & non per ipsum.

Sed urgent, quia alioquin circumcisio non esset baptizatus, quod est falsum, quia nominem excepit Christus, cum dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. sequela probatur, quia duo accidentia ejusdem rationis nequeunt esse simul in eodem subiecto, & baptismus nihil caufaret, quia inveniret causatum.

Confirmatur, quia per circumcisionem non adscribebatur aliquis in familiam Christi, sicut fit per baptismum; ergo non debebat, characterem imprimere, sicut baptismus. Tandem quia Patres Græci non tribuunt Circumcisioni aliam obligationem, quàm externam, quam recipiebant, inquit Chrysostr. more peccatum, & per hoc opponunt eam baptismi, qui dat internam.

231 Ad primum negat Doctor consequentiam, & ad probationem inquit, quod posset concedi, illum characterem à Circumcisione impressum, esse ejusdem rationis cum characteris baptismi, ac etiam alterius rationis; si concedatur, fuisse ejusdem rationis, dici posset, quod non imprimere characterem, fuisse ejusdem rationis, in suscipiente, quia tale subiectum non est in potentia ad talem formam, sed in actu ad servandum illam; neque id esset absurdum, quia baptismus natus est causare in subiecto capaci; cuiusmodi esset jam habens characterem; sicut si baptismus inveniret gratiam summam, ut fuit in Beata Virgine, inquit Doct. quod non caufaret aliam, neque ob id esset falsum signum, quia significaret gratiam presentem, & causatam; Si verò dicitur, characterem Circumcisionis differre à characteris baptismi, sicut imperfectum à perfecto, sicut gratia baptismi differat à gratia Circumcisionis, tunc circumcisio postea baptizatus novum characterem non suscipiet, sed per baptismum, ut eo perseveret characterem Circumcisionis antè impressum. Ad Confirm. negatur antecedens, quia adscribebantur Circumcisio in familiam Dei, & Messia, qui est Christus, quæ non credebant aliquando venturum, nam dicitur ead. ultimum ex Patribus respondet ipse Hiquo, hæc partem sufficit, quod differretiam obligationis inducunt inter Circumcisionem, & baptismum, magis ipsos intendere illam signationem, quæ est ipse gratiam, quam probant contra Iudeos, non datam fuisse in Circumcisione, sicut modo datur per baptismum, eo modo, quo explicavimus supra quaest. cit. num. 86.

QUESTIO SEXTA.

An poterit homini, vel Angelo communicari potestas instituendi sacramenta.

232 Certum est inter Catholicos omnia Sacram. novæ legis fuisse à Christo Domino instituta, ita enim definitum fuit in Conc. Trident. sess. 7. can. 1. de sacramentis in communi, ubi habet: Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. Hoc autem ita intelligi debet, ut Christus Dominus, qua Deus, tanquam causa principalis, & qua homo tanquam causa immediate deterrimans signa illa sensibilia septem, & tanquam merensur Deus, ita mediantibus concurreret ad conferendum gratiam efficaciter, & infallibiliter, instituit immediate omnia novæ legis sacramenta, Ex quo inferunt, solum Deum esse causam principalem effectus interioris sacramentalis, gratiæ, & characteris; Christum vero, ut hominem, esse causam principalem meritoriam illius effectus, efficientem verò ministrantem esse commissionem Dei; Et denique Ministrum esse causam instrumentalem, & ministrantem, quatenus conferendo sacramenta ex institutione, & commissione Christi applicat suscipienti merita ipsius, & virtutem divinam, eam annexam, quæ interiorius operatur illos effectus.

233 Quando itaq; hic quaeritur, an creature possit communicari potestas instituendi sacramenta, non est quaestio de potestate illa principali, & excellenti, quæ convenit Deo ratione Deitatis, & quam habuit Christus ratione Deitatis; hæc enim eo modo, & cum ea independentia, & superioritate, & auctoritate, quæ est in Deo, non potest ullo modo creaturæ communicari; Quare Theologi